





1812
1747, 22.
DISPV TATIO IVRIDICA
S E C V N D A

SELECTIONA IVRIS
P R I N C I P I A

A D

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA
LIBRIL SPECIMEN II. CONTINENS

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

I N D V L T V

P R A E S I D E

IO. TOBIA RICHTERO

P H I L . E T I . V . D .

A D D I E M V I . S E P T E M B R I S A . C . N . M D C C X L V I I .

H . L . Q . C .

P V B L I C E V E N T I L A N D A M P R O P O N I T

ERNESTVS GOTTLOB MITSCHING

G O R L I C . L V S .

L I P S I A E

L I T T E R I S L A N G E N H E M I I S .

L. D. G. G. G.

12

12

DISPUTATIO IURIDICA
DE
STLECTIOA IURIS
PRINCIPIA

ORDINEM DISCRETORVM EXPOSITA
LIBRI SPECIMEN ET CONTINENS
QUAM
HISTORIAM IURIS ORDINIS

INDUCTA
T. R. A. S. I. D. E.
IO. TORIA RICHTERO

AD DIEM VI. SEPTEMBRIS A. C. M. MDCCCLVII.
H. E. G. C.
FRATRE VERT. ANDR. PROBYN.
ERNESTVS GOTTL. MITSCHING
GOTTIC. PAR.

LIBRARIUS
HISTORIE UNIVERSITATIS

Handwritten signature and notes in cursive script.





Q. D. B. V.

SELECTIONVM IVRIS
PRINCIPIORVM
AD DIGESTORVM
LIBRVM I. SPECIMEN II.

I.



Adoptio est actus quò extranei tanquam liberi in familiam assumuntur, in casu vbi legitimi liberi deficient. ^{a)} Opinio itaque Ludouici ^{b)} qua adoptandum talem qui natura filius non est, supponit, a vero est aliena; Leges enim casus proponunt, quibus quis natura filius ante tamen vel emancipatus vel alii in adoptionem datus postea fuit redadoptatus. ^{c)}

a) L. i. pr. L. 17. §. 3. ff. de adoption.

b) Doctr. Pandect. Lib. I. Tit 7. §. 1.

c) L. 12. L. 41. ff. de adoption.

Obst. L. 17. §. 2. 3. ff. L. 2. 3. C. de adopt.

II.

Etiam si quis liberos iam habeat, adoptare adhuc potest non tantum in locum nepotis ^{a)} sed et si liberi sint immorigeri qui exheredationem merentur. Imo si liberi legitimi non laedantur in legitima portione, adoptionem adhuc, attamen rescripto principis interueniente fieri posse arbitror; cum enim pater liberis suis legitimis omnia praeter legitimam bona iuste auferat, non est cur eatenus adoptandi facultatem patri denegemus.

a) §. 7. I. de adopt. L. 44. ff. eod.

Obst. L. 17. §. 3. ff. de adopt.

III.

Impuberum arrogatio iure antiquo nulla erat, quia personam standi in comitiis nondum habebant. Et nec hodie eadem dici potest perfecta, quod partim inde probatur, quod consensus arrogandi expressus exigitur; ^{a)} partim quod cautio in casum, si eiusmodi arrogatus intra pubertatem decesserit, de bonis proximis successoribus restituendis praestatur; ^{b)} qua non esset opus, si arrogatio prorsus firma esset et absoluta. Imo adepta pubertate eiusmodi arrogationem, si minus proficua probetur, improbari posse, expressis Legum verbis ^{c)} conceditur.

a) L. 2.

a) L. 2. pr. ff. de adopt.

b) §. 3. I. eod.

c) L. 33. ff. eod.

Obst. L. 32. 33. ff. eod. verb: emancipari.

IV.

Sicuti recte docente Ludouici *) parentum naturalium affectus erga liberos omnes reliquos affectus vincit; ita quoque adoptio bona intentione erga adoptatum fieri debet. b) Quibus ex principiis immediate sequitur quod habet Paulus: c) eum quem quis adoptauit, emancipatum vel in adoptionem datum, iterum non potest adoptare.

a) in Doctr. Pand. Lib. I. Tit. 7. §. 6.

b) arg. L. 17. pr. §. 1. ff. de adopt.

c) in L. 37. §. 1. ff. eod.

Obst. L. 12. L. 41. ff. eod.

Conf. BRUNNEM. ad L. 37. §. 1. ff. de adopt.

V.

Quarta pars bonorum, quam arrogator filio arrogato impuberi et sine causa exhereditato vel emancipato debet, non est portio legitima; nunquam enim in Legibus legitima vocatur: constitutio D. Pii, dictae partis quartae auctoris, esset superflua, quandoquidem iam ante hunc imperatorem arrogatis legitima debebatur: haec quarta deducitur tan-

A 3

quam

6 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

quam aes alienum, ^{a)} cum e contrario legitima non intelligatur, nisi deducto aere alieno: ad quartam hanc consequendam vel condictio ex Lege vel actio quasi Fauiana vel Caluisiana concessa est, quae intuitu legitimae frustra instituetur. ^{b)} Nec igitur affirmare licet, quartam illam hodie in trientem esse mutatam.

a) L. 8. §. 15. ff. de inoffic. testam. L. 2. §. 1. ff. famil. hercisc.

b) L. fin. ff. Si quid in fraud. patron.

Obst. §. 2. 3. I. de inoffic. testam.

Diff. ZOESIVS ad ff. tit. de adopt. n. II.

VI.

Olim quidem Romanorum nobilitatem adoptio tribuebat; ^{a)} cuius rei exemplum Tacitus adducit; ^{b)} Ast nobilitas hodierna per adoptionem non tribuitur, non propterea tantum, quod sanguini nobilitas cohaereat, sed eo praecipue, quod eius collatio ab arbitrio solius imperantis, nec vnquam a voluntate cuiusdam priuati, adeoque nec adoptantis pendeat.

a) L. 35. ff. de adopt. L. 5. 6. 10. ff. de senator.

b) Lib. V. Annal. c. I. §. I. add.

OVID. Factor. Lib. IV. v. 21. 22.

Conf. CARPZ. de Lege Regia c. 3. sect. 13. n. 47.

Dissent. 10. CORASIVS ad L. 35. ff. de adopt.

VII.

VII.

Vnio prolium antiquissimis Germanorum moribus introducta, est pactum^{a)} adeoque consensum paciscentium requirit, neque perfecta dici potest, nisi omnes quorum interest, plene consenserint. Quando itaque statuunt, vniendorum qui per aetatem consentire non possunt, tutores vel curatores, hoc in negotio adhibendos esse, indeque vnionem fieri perfectam, meo quidem iudicio egregie falluntur. Id enim non tantum est contra naturam pacti, cum sine iure nemo valide pro tertio paciscatur, sed pugnat quoque cum officio tutorum et curatorum, vtpote quibus ius quidem administrandi bona pupillorum et minorum: non autem de eorum iuribus disponendi concessum est. Quodsi vnio prolium dicto modo nihilominus celebretur, ea certe non ex tempore quo inita, sed ex eo quo adepta maiorenitate confirmata fuit, adeoque minimum tacita vniendorum voluntate valebit.

a) GAIL. Lib. II. Obseru. 125. n. 7.

Dissentit BERGER. Oecon. Iur. Lib. I. Tit. 3. §. 14. not.

5. LVDOVICI Doctr. Pand. Lib. I. Tit. 7. §. II.

Obst. L. f. C. de auctor. praestand.

VIII.

VIII.

Banno imperii et hodierna in perpetuum relegatione patris, merito dissolvitur patria potestas; illud enim haud obscure ex Legibus publicis imperii ^{a)} colligitur: hoc autem ex rei natura cognoscitur, qua ipsa satis indicatur, relegatum praestita eapropter vrpheda ad patrios lares nunquam redire debere, adeoque ciuitatis iure omni exclusum esse. Quodsi aliter sentiremus legislatoris quidem voluntatem serio praescriptam et poenam in factum aliquod illicitum ex Lege statutam et applicatam cognosceremus, simul tamen illi obsequium: huic vero effectum plenum denegaremus, quod absque manifesta contradictionis nota fieri nequit. ^{b)} Neque a relegatione Romanorum ad hodiernam tuto posse concludi arbitror. ^{c)}

a) Cammer-Gerichts-Ordnung de anno 1555. P. II. Tit. 9. §. 2. ibi: dazu alle Pflicht und Bündniß ihnen zustehend ic. ab und todt seyn.

Dissent. SCHUBERT. in Diss. de Redintegratione patriae potestatis § 13.

b) BERGER Oecon. Iur. Lib. I. Tit. 3. §. 16.
SCHILTER. Exercit. ad Pand. Ex. 3. §. 10.

c) L. 7. pr. §. 10. ff. de interd. et releg.
CARPZOV. Pr. Crim. Qu. 130. n. 15.

Obst. L. 4. L. 7. §. 3. ff. de interd. et relegat. L. 20. ff. de minoribus.

Dissent.

Difent. LVD. MENCKEN Tract. Synop. Inf. Lib.
I. tit. 12. §. 2.

IX.

Dignitatem a curia liberantem etiam a patria potestate liberare tralatitium est;^{a)} quae vero dignitates olim a curia liberauerint Imperator Iustinianus late non minus exposuit.^{b)} Ast si usum hodiernum spectes et applicare dicta principia velis, quaedam ob status nostri diuersitatem obsoleta, quaedam autem adhuc vtilia reperies; quare in hac re explicanda sic tenendum: quaecunque dignitas in constitutione Iustiniani posita cum aliqua hodierna comparari potest, aut usu forensi comparationem accepit, illa tribuet adhuc a patria potestate liberationem: in quacunque vero dictarum dignitatum nulla prorsus ratione cum aliqua nostra paritas quaedam aut comparatio reperitur, illa eadem ornatum patri viuenti et eius potestati subiectum relinquet.^{c)}

a) Nou. LXXXI. c. 1 §. 1.

b) L. fin. C. de Decurionib.

c) vid. Excell. IO. GOTTLIEB SIEGELII Fürsichtiger
Wechsel-Gläubiger P. I. c. 2. §. 15. n. 3.

X.

Episcopalis dignitas quae olim a patria potestate liberabat,^{a)} idem hodie in Superintendentibus protestantium haud incongrue efficiet. Etenim palam est, aetate Iustiniani

B

non

IO SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

non ita magnam episcoporum fuisse potestatem ^{b)} quippe quae ab illa quam nostris superintendentibus videmus concessam, parum est diuersa. ^{c)} Si vero episcoporum huius temporis proprie talium dignitatem et potestatem intueamur, res per se clara est, nec vllus nisi audax inter hos et nostros superintendentes instituet comparationem.

a) Nou. LXXXI. c. 3.

b) L. 41. C. de episcop. et cleric. tot. tit. C. de episcop. aud.

c) Berger. Occ. Iur. Lib. I. tit. 3. §. 16.

XI.

Magister militum, cuius fit mentio ^{a)} vel magisterium militare, ^{b)} quod patriam potestatem dissoluit, minus recte de omnibus superiorum ordinum militibus Ober-Officiers intelligitur. Primum enim imperator non de magistris militum, sed de officio magistri militum suscepto loquitur, ^{c)} quod omnibus et singulis tribui nequit. Deinde rationem duci tantum conuenientem hanc affert ^{d)} verbis: *eum qui tantorum iudex est, et tantis iubet, manere sub potestate alterius et non inter eos qui suae potestatis sunt, scribi, nostrarum indignum iudicauimus Legum.* Tandem mores dignitatem eines Hauptmannes a patria potestate liberari non admittunt. ^{e)}

a) in L. f. C. de decurion.

b) Nou. LXXXI. c. 1. pr.

c) d. L.

- c) d. L. f. C. de Decurion.
 d) d. Nou. c. 1. pr.
 e) Excell. SIEGELII cit. Fürsichtiger Wechsel-Gläubiger
 P. I. c. 3. §. 15. n. 3.
 add. BRUNNEM. ad L. r. C. de offic. magistr. milit. et
 HÜBER. Praelect. Iur. Ciu. Lib. I. Inst. tit. 12.
 Dissent. BERGER Oec. Iur. Lib. I. tit. 3. §. 16.

XII.

Postquam ipsis Legibus Codicis statutum est, posse filiumfamilias, cuius res vt patrisfamilias agi, pater illius diu passus est, a patria potestate liberari,*) iuris principiis omnino est conueniens affirmare, particularem tacitam emancipationem hodie fieri ac defendi posse. Accedit, quod Philippi^{b)} docente, is qui finem vult, non possit non etiam media velle; hinc pater a filio familias rem sibi donatam accipiens in eamque donationem consentiens filium eo ipso tacite emancipasse censetur, propterea quod velit vt valeat contractus adeoque simul cupiat id, sine quo valor iste sequi nequit: filiusfamilias vero ex omnibus causis obligari possit. *) Forma igitur a Iustiniano imperatore emancipationi praescripta tanquam ad absolutam plenariamque pertinens^{d)} in eiusmodi casibus temperata est, et effato Vlpiani^{e)} quo inter patrem et filium contrahi emptio non potest, limites positi videntur. Idem nuperrime in Saxonia cautum est. ^{f)}

12 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

- a) L. 1. C. de patr. potest.
- b) ad Decif. El. 23. Obf. vn. n. 5. add. L. 2. C. de emancipat.
- c) L. 39. ff. de Obl. et Act. §. 6. I. de inutil. stipul.
- d) L. 6. C. de emancipat.
- e) L. 2. pr. ff. de contrah. emt. vend.
conf. Summe Reuer. 10. FLORENTIS RIVINI diff.
de emtione et venditione patris et liberorum in po-
testate existentium.
- f) Dec. El. Nouiff. de anno 1746. Dec. 14.
Obf. d. L. 2. pr. ff. de contr. emt. L. 3. et 6. C. de
emancipat. Dissent. BERGER Oec. Jur. Lib. I. Tit.
3. §. 16. p. 155.

XIII.

Virtualis emancipatio Saxonica per so-
lum quidem elocationis factum fit in filia, ^{a)}
quorum tamen vocem *freyen*, quasi filia elo-
cata *eine ausgestattete Tochter* fiat *frey*, id est
sui iuris, cum Bergero ^{b)} non referrem; nam
usus loquendi eandem vocem in masculis quo-
que adhiberi testatur, cum sit *vsitatum er geht
auf die Freyth* et filius vxorem ducens adhuc
maneatur in patria potestate: nec ex eodem iu-
re in filia sic emancipanda requiritur maior
aetas. Quamuis enim Constitutio Electora-
lis ^{c)} generatim aetatem maiorem exigere vi-
deatur verbis: *Kinder so ihre mündige Jahre
erreicht*; at tamen partim eam interpretatio
vsualis ad filios tantum restringit: ^{d)} partim
ius maritale haud integrum maneret si patria
potestas adhuc duraret; illud vero huic me-
rito

rito est praefendum, quia pater ipsa elocatione, qua filia familiam egreditur, suo fauori renunciaſſe intelligitur.

- a) arg. Conſt. Elect. 10. P. II. verb. Da ſich Kinder mit Anſtellung ihrer eignen Haushaltung und Nahrung ſcheiden.
- b) Oec. Iur. Lib. I. Tit. 3. §. 16. p. 155.
- c) all. Conſt. El. 10. P. II.
- d) BERGER. cit. loc.

XIV.

Res in ſenſu iuris accepta, optime definitur, quod ſit omne id quod ſua natura ſic eſt comparatum vt poſſit eſſe in alicuius bonis. ^{a)} Etenim iſte conceptus omnes rerum ſpecies tam quae extra patrimonium quam quae in patrimonio ſunt priuatorum continet. Imo ſic differt, res a perſonis, cum quibus illam Ludouici ^{b)} confundit ſtatuens: rem eſſe id omne quod hominibus vtilitatem praefat aut praefare poteſt.

- a) L. 5. pr. L. 23. ff. de V. S.
- b) in Doctr. Pandect. Lib. I. Tit. 8. §. 1.

XV.

Aliter quidem Marcianus ^{a)} rerum diuiſionem in Digeltis exponit aſſerens: *quaedam naturali iure eſſe communia omnium, quaedam vniuerſitatis, quaedam nullius, pleraque ſingulorum*; aliter vero haec diuiſio in Inſtitutionibus ^{b)} eſt concepta verbis: *quaedam naturali iure communia ſunt omnium, quaedam publica, quae-*

14 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

quaedam vniuersitatis, quaedam nullius, pleraque singulorum. Quam diuersitatem Gerardus Noodtius *) ita tollendam arbitratus est, vt publica et communia, pro iisdem acciperentur, adeoque forsitan in Institutionibus, loco verborum *quaedam publica*, legeretur: *quae eadem et publica.* Sed Leges corrigere non licet. Neque hic opus est correctione, cum idem quod Institutiones habent, et in Pandectis, etsi non tam clare, contineatur: nexus enim Triboniani in Legibus quae sequuntur, testatur, quaedam et publica esse, **) et in Legibus explicandis non sufficit verba earum tenere, sed vim et potestatem cognoscere praestat.

a) L. 2. ff. de Rer. Diu.

b) pr. I. de R. D.

c) in Probabilib. Iur. Lib. I. c. 7. n. 1. et. 2.

d) L. 4. §. 1. L. 5. pr. ff. de R. D.

XVI.

Vacillans est fundamentum diuisionis, quae res aliae diuini, aliae humani iuris dicuntur; Deo enim tanquam creatori et omnium rerum domino vix quaedam ita assignantur, vt in ipsius potestate veluti separatim existant. Quin? valde dubito an inter protestantes eandem diuisionem retineri expediat, cum principibus nostris ius circa sacra profus restitutum sit.

vid.

vid. Transactio Passau. de anno 1552. §. 9.

Pax Religios. de anno 1555. §. 6.

Instrum. Pac. Osnabrug. de 1648. art. V. §. 48.

Obst. §. 8. I. de R. D. et Exod. c. 40. v. 9. seqq.

XVII.

Res immobilis est, quae salua sua substantia et iure de loco in locum transferri nequit. Inde immediate sequitur, vt molendina tam pneumatica quam naualia ad res immobiles sint referenda; illa enim terrae firmiter inhaerent trabe infossa: a) haec vero flumini destinata et affixa deprehenduntur. b) Ita neutrum genus salua sua substantia de loco in locum transferri posse cognoscimus. Idem et inde patet, quod molendinum et pneumaticum et nauale vt molendinum vix cogitari possit nisi terrae firmiter sit affixum; nam a sola mechanica structura ad substantiam rei perfectam conclusionem haud arbitror valere.

a) vid. L. 18. pr. ff. de action. emt. et vend.

Obst. L. 17. pr. ff. de act. emt.

b) vid. L. 18. §. 1. ff. de act. emt. L. 242. §. 4. ff. de V. S.

Obst. L. 17. §. 7. ff. de act. emt. L. 21. ff. de instruct. vel instrum. legat. L. 1. §. 7. ff. de vi et vi arm. L. 20. §. 4. ff. Quod vi aut clam.

XVIII.

Incorporales res sensibus externis non percipiuntur; quare nec mobiles nec immobiles

16 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

biles sua natura dici possunt. Quoties tamen haec rerum qualitas peruestiganda est, puta in legatis mobilium *des gesammten Jahrußes*, toties necesse omnino est, vt eam per analogiam determinemus, quippe quod principiis iuris vtique conuenit, quia rei appellatione et causae et iura continentur. ^{a)} Cum autem omne ius obligatione quadam nitatur sua sponte sequitur, vt ex qualitate obligationis et qualitas iuris quodam modo diiudicari possit. Fundamentum igitur dictae analogicae determinationis, in obligationis, vnde ius nostrum deriuatur, indole haud immerito est ponendum. Ius autem et obligatio competit in rem quam ipsimet possidemus, aut vbi alius quidam nobis obstringitur. Si prius, res in apri-co est, et ex subiecto cui cohaeret facile determinanda, cuiusmodi in iure venandi est exemplum: sin posterus, obligationum substantia in eo consistit, vt alium nobis obstringat ad dandum aliquid vel faciendum vel praestandum. ^{b)} In datione respiciendum est obiectum dandum, quod prout est vel mobile vel immobile iuri nostro eandem tribuet qualitatem, quo pertinent nomina, actiones etc. Quodsi obiectum sit mobile vt in annuis redditibus, vltterius facultatis exigendi ratio est habenda, et videndum an dies cesserit tantum, vbi

vbi ius est immobile, an vero dies venerit, vbi ius mobile reputatur. ^{a)} In facti obligatione adeoque in laboribus corporis et animi exhibendis attendendum inprimis forte arbitror, an illud iam exigi possit nec ne ^{b)} si prius, ius ad factum competens vt mobile: sin posterius, idem vt immobile, quatenus haec qualitas disquirenda, considerari potest. In praestatione mox obiectum vt in re commodata, mox subiectum, vt in seruitute exhibenda spectari debet, indeque iuris competentis natura vel vt mobilis vel vt immobilis cognosci.

a) L. 4. L. 6. pr. L. 23. ff. de V. S.

b) L. 3. pr. ff. de obligat. et act.

c) L. 15. ff. de R. L. CARPZ. P. III. Const. 23. def. 8. n. 8.

d) GAIL. Lib. II. Obs. 10. n. 3.

e) arg. L. 213. pr. ff. de V. S. add.

Conf. El. Sax. 24. P. III. §. damit nun.

Conf. Consult. CHRISTIANI LVDOVICI STIEGLITZII diff. de Iuribus et actionibus feudi titulo concessis §. 16.

XIX.

Facultas in ipsam rem nobis deuinctam sine respectu personae competens vocatur ius in re, eiusdemque non nisi quinque species dantur; harum enim quaelibet singulari non tantum Lege corroboratur, ^{a)} sed et separatam suam ac distinctam producit actionem. Non
C igitur

18 SELECTIONA IURIS PRINCIPIA

igitur est, cur a communi hac opinione recedamus, et controuersia quondam inter nonnullos de paucioribus speciebus instituta merito inanis reputatur, imprimis cum nouae ac plures subdiuisiones introducantur, terminique praeter necessitatem multiplicentur. Id vero praetermittendum non est, possessionem iure demum Canonico^{b)} praecipue indolem iuris realis accepisse, attamen propterea quod ius temporarium tantum tribuat, vt putat Ludouici^{c)} ex numero extirpandam non esse, quia pignus etiamsi ad tempus ius operetur, speciebus iuris in re nihilominus adnumeratur.

a) quoad dominium vid. L. 2. §. 1. ff. Si Seruit. vind. quoad hereditatem vid. L. 9. ff. de hered. petit. L. 5. §. 5. ff. de his qui effud. vel deiec. quoad pignus vid. L. 30. ff. de noxal. action. L. 17. ff. de pignorib. quoad seruitut. vid. L. 19. pr. ff. de damno infect. §. 2. I. de action. quoad possessionem vid. L. 1. §. 1. ff. de Superficieb. L. 2. ff. vti possidet.

b) c. 3. C. 3. qu. 1.

c) Doctr. Pandect. Lib. I. tit. 8. §. 14.

Dissent. STRVV. Synt. Iur. Ciu. Exerc. IV. th. 88. et Exerc. X. th. 1.

XX.

Triplex est fundamentum, quo ius in re potest acquiri, idque vel modus originarius vel modus deriuatiuus vel singulare beneficium

cium Legis. Modus acquirendi originarius absoluitur occupatione eademque dominium plerumque acquiritur; a) accessio enim quae in Legibus vocatur, vere partim est species occupationis, partim domini effectus. b) Modus deriuatius requirit pactum iuris in re constitutum pariter ac traditionem; vnde id quod promissum a constituto probe est separandum, cum solus contractus personam quidem, non rem afficiat. c) Verum hoc ius in re corporali vera vel ficta: in re incorporali quasi traditio operatur. Et hoc modo pignus, seruitus certaue ratione possessio acquiritur. Vbi tamen nulli nec fictae nec quasi traditionis termini habiles deprehenduntur, ibi vt ius reale sola conuentione constituatur necesse est; cuiusmodi exemplum habemus in hypotheca et in negatiua seruitute. d) Ius Saxonicum in Iure reali acquirendo iudicalem quandoque confirmationem quandoque inuestituram exigit. e) Beneficium Legis continet casus, quibus quis ipso iure absque occupatione et traditione ius in re consequitur, id quod in iure hereditario, iure legatorum et in iis quae officio iudicis ad iudicantur, experimur. f)

a) conf. §. 12. I. de. R. D.

b) exempla sunt in Specificatione et alluione.

C 2

c) arg.

20 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA ETC.

- c) arg. L. 20. C. de pact.
- d) L. 1. pr. ff. de pignor. act.
- e) O. R. Tit. 44. §. 1. Dec. El. 61.
- f) L. 80. ff. de Legat. II. §. fin. I. de offic. iudic.

XXI.

Facultas quae competit in personam ex facto nobis ad dandum vel faciendum vel praestandum obligatam, *) ius ad rem vocatur, idque oriri ex facto obligatorio eodemque licito vel illicito communiter affirmatur. **) Ast species huius iuris omnes ex facto simpliciter oriri, ipsa Legum auctoritate ductus nego; Datur enim ius personale, vbi nullum factum specialiter obligatorium praecedit. Ita liberi sunt personaliter obligati vt patri iusto patriam concedant potestatem: *) vt patri deportato praestent alimenta, **) et quae sunt huius generis reliqua. Erit itaque ius ad rem facultas quae competit in personam ex facto vel Lege obligatam.

- a) L. 3. L. 25. ff. de O. et A. L. 2. ff. de pollic.
- b) Ludou. Doctr. Pand. Lib. I. tit 8. §. 16.
- c) arg. pr. I. de patr. potest.
- d) L. 17. §. 1. ff. de poen. L. 73. §. 1. ff. de Iure dotium.



ULB Halle

3

007 231 962



W 18







1812

1747, 22.

DISPV TATIO IVRIDICA
S E C V N D A .

SELECTIONA IVRIS
P R I N C I P I A

A D

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA
LIBRII. SPECIMEN II. CONTINENS

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

I N D V L T V

P R A E S I D E

IO. TOBIA RICHTERO

P H I L . E T I . V . D .

A D D I E M V I . S E P T E M B R I S A . C . N . M D C C X L V I I .

H . L . Q . C .

P V B L I C E V E N T I L A N D A M P R O P O N I T

ERNESTVS GOTTLOB MITSCHING

G O R L I C . L V S .

L I P S I A E

L I T T E R I S L A N G E N H E M I I S .

L. D. Gual

